

INDEX.

I.	—	—	—	Excercita controversiarum illustrium de Soto Vellejano.
II.	—	—	—	de sponsalibus.
III.	—	—	—	de tutela ex jure publico, feodali et canonico.
IV.	—	—	—	de testamento inefficaco.
V.	—	—	—	de Testamentis Principum Imp.
VI.	—	—	—	de successoribus ab intestato quoad ascendentes et collaterales.
VII.	—	—	—	de consilio.
VIII.	—	—	—	de comodato.
IX.	—	—	—	de cambio.
X.	—	—	—	de actionibus.
XI.	—	—	—	de arboribus.
XII.	—	—	—	de aedificiis.
XIII.	—	—	—	de fidejussoribus.
XIV.	—	—	—	de servitio imperii.
XV.	—	—	—	de donationibus mortis causa.
XVI.	—	—	—	de liberis illegitimis.
XVII.	—	—	—	de legitima.
XVIII.	—	—	—	de lege Rhodra de jactu.
XIX.	—	—	—	de jure et eius officio.
XX.	—	—	—	jure verandi.
XXI.	—	—	—	de rebus pro derelictis habitis.
XXII.	—	—	—	de patria potestate.
XXIII.	—	—	—	de pretio in emptione venditione.
XXIV.	—	—	—	de appropriationibus.
XXV.	—	—	—	de vi publica vel privata.
XXVI.	—	—	—	de testamentis.

Wd. 79.

B. C. D.

xviii.

DISSERTATIO JURIDICA
CONTINENS
EXCERPTA CONTROVERSIARUM
DE
ERRORE IN CON-
TRACTIBUS,

Quam

PRÆSIDE

VIRO Nobiliss. Ampliss. Consult. atq; Excell.

DOMINO

JOH. HENR. FELTZIO,
J. U. D. & Pand. PP. Ord.
Celeberr.

Solemni Censura submittet ad d. 19. Octob.

M DCC XIII.

CAROLUS DOMINICUS
PANTALEON,

Metensis, Auctor.

ARGENTORATI,

Literis JOSÆ STÆDELII, Acad. Typogr.



15516

OPTIMO
PARENTI
SUO,
DOMINO
PETRO PHILIPPO
PANTALEON,
PRIMO PRÆSIDI & LOCUMTE-
NENTI GENERALI
PRÆFECTURÆ METENSIS,
Ut &
CONSILIARIO REGIO,

Has Academicas Primitias in filialis obsequii
tesseram certissimam cum voto omnigenæ pro-
speritatis
devotissimo affectu,

Dat, dicat, dedicat
Filius Obsequiosissimus
CAROLVS DOMINICVS PANTALEON.



(1)

EXCERPTA
CONTROVERSIARUM
DE
ERRORE IN CON-
TRACTIBUS.

PRÆLOQVIUM.



*Um in conventionibus in univer-
sum pariter atq; in Contractibus
speciatim consensus partium, ut
nomen suum in jure tueri queant,
omnimodo requiratur; ei autem
nihil tam sit contrarium, quam error; hinc saepe
in foro occurrunt quaestiones, quid juris, si unus
contrahentium vel uterque etiam opinionem ve-
ritati contrariam respectu ad contractum habito
fovet. Et esset sane dignum hoc, quod exco-
leretur & methodice, eum ad modum, quo v. g.
Scipio Gentilis de erroribus testamentorum
commentatus est, pertractaretur, argumentum.
Verum, cum id instituti nostri temporisque ratio
nunc haud admittat, lubet aliqua tantum ex hac
materia excerpere, qua sat amplam tamen serra
contentionis Academica materiam subministra-
bunt. Sit itaque*

A

CON-

CONTROVERSIA I.

*An error circa substantiam siue materiam
vitiet contractum?*



Volent, qui in *Systematibus ad tit. Pand. de E. V.* præcipue inter contraria de errore agunt, non invita Juris Romani analogia distinguere, an error circa personam interveniat, an circa rem; hunc iterum duplicem faciunt, alium nominis, alium ipsius rei; qui posterior vel totalis est, totius sc. corporis vel individui; vel partialis, quando scil. de corpore constat, sed vel circa substantiam vel circa accidentia erratur. De priori casu, ubi nimirum æs vel stannum e. g. pro auro & argento venit, controvertebatur jam inter antiquos Jctos, an vitium inde contrahat negotium? *Marcellus* sane, ita referente *Ulpiano l. 9. §. 2. de E. V.* censuit, si acetum pro vino veneat, æs pro auro, vel plumbum pro argento, vel quid aliud argento simile, emtionem esse & venditionem, *quia in corpore consensus est, etsi in materia sit erratum.* Nec enim plus hic facere videtur error materiæ, quam error nominis, qui, ubi de corpore constat, haud impedit, quo minus valeat emptio

tio & venditio *d. l. 9. §. 2.* Circa acetum tamen *Ulpianus d. l.* distinguit, ita, ut emptionem valere dicat, si vinum in acetum degeneravit, si vinum acuit, quia eadem prope *σεία*, id est, substantia est; cœterum, si vinum non acuit, sed ab initio acetum fuit, (quod ex alio quam vini liquore constat, & non tam naturale, quam factitium potius est,) ut *embamma*, intinctus, non valere. Licet porro *in fin. d. l.* subjiciat: in cœteris autem nullam esse venditionem puto, quotiens in materia erratur; in *L.* tamen *14. d. tit.* venditionem valere decidit, ubi *viriola*, quæ aurea dicebatur, uni cohærendum vendita, & magna ex parte post *ænea* reperta fuit, quia nimirum auri aliquid habuit; idem judicium ferens de casu, ubi inauratum aliquid est, licet ego aureum putem. Sed & in casu, ubi *æ*s pro auro intervenit, adeoque in tota materia fuit erratum, pignori id obligari, adeoque hæctenus contractum subsistere decidit in *l. 1. §. fin. ff. de pignor. act.* Hæc *Marcellus* & *Ulpianus*; *Julianus* autem in *l. 41. §. 1. d. tit.* nullitati videtur adstipulari, *mensam*, inquit, *argento coopertam mihi ignoranti pro solida vendisti*

disti imprudens, nulla est emptio, pecuniaque eo nomine data condicetur. Suffragari videtur Paulus in l. 45. d. tit. si vas aurichalcum, ait, pro auro quis vendidisset ignorans, tenetur, ut aurum, quod vendidit, praestet. Idem tamen in l. 22. ff. de V. O. stipulationem, in qua æs pro auro venit, tenere adserit. Ita varie circa hoc argumentum responderunt Jcti Romani.

Nos rem totam, ut clarior evadat, & quæ hic apparent antinomix, dispareant, sequentibus complectemur thesibus :

I. *Ubi in tota rei materia, substantia seu s'ois erratur, ibi contractus, qui justam in mutua praestatione proportionem requirit, est ipso jure nullus.*

Ita, cum in emptione venditione ultro citroq; obligatio contrahatur, ut emptor ratione rei emptæ ad pretium venditori obligetur, sicut hoc certum & justum, ita & illa certa esse debet. Postulat proinde æquitas, ut ob æqualitatem servandam partes non tantum in corpus, sed etiam in substantiam & materiam consentiant, quæ alioquin nimiam faceret disparitatem pretii conventi, unde summa inæqualitas & injustitia

stitia oriretur, vid. *Bachov. ad Trentl. V. 1. disp. 28. §. 7. lit. e.* Hinc nulla est emptio, si æs pro auro, plumbum pro argento, vitrum pro gemma, aut pro mensa argentea veneat lignea, stannea, plumbea vel ænea, quæ laminis argenteis tantum est co operta & obducta pro solida sive in solidum argentea, cum ejus superficies tantum sit argento illita, ipsa vero nulla ex parte argentea *l. 9. §. 2. l. 14. l. 41. §. 1. ff. de contrah. empt.* Si acetum, quod ab initio vinum non fuit, pro vino, si vas aurichalcum pro auro veniat *l. 9. §. ult. d. tit. l. 45, in fin. ff. eod.*

Ampliatur autem thesis hæc (1. sive unus tantum ita erraverit, sive uterque *dd. ll. Coll. Jurid. Argent. 0 14. d. tit.* (2. Sive detrimentum ex errore ad emptorem, sive ad venditorem redundet; falsum enim est, quod *Bus. ad l. 9. d. t. n. 6. Et ad l. 14. eod. n. 6.* adstruit, valere emptionem, si pro ære veniret aurum, quia emptoris intersit valere. Nam & generaliter de errore in tota materia pronuntiatur in *l. 9. §. 2. cit.* quod annullat emptionem venditionem, itaque idem obtinebit, sive melior sive deterior veniat, cum lege non distinguente nec

nostrum sit distinguere; & in contractibus b. f. jura contrahentium æqualia esse debent, l. 6. ff. de peric. § comm. rei vend. adeoque, sicut in casu, ubi æs pro auro venditum, non ideo validus est contractus, quod venditoris intersit, cum præjudicium ingens versetur emptoris; ita nec, ubi aurum pro ære venditum, valebit ideo, quod emptoris intersit valere, cum æque magnum hic venditoris versetur præjudicium, conf. *Lauterb. §. 110. ad tit. ff. de contrah. empt.*

Limitatur vicissim (1. quoad corpus artificiale, in quo imprimis artificium spectarunt contrahentes, ut, si horologium singulari arte constructum veneat; in hoc enim error materiæ non consideratur, maximè, si in specie pro auro vel argento non fuerit venditum, vid. *Mudau de E. V. n. 8.* (2. ut non procedat, nisi in contractu, ubi mutua est præstatio, ita comparata, ut requiratur justa proportio in eo, quod utrinque præstandum venit. Hinc, si in stipulatione error in materia interveniat, ut, si id, quod aurum putabam, cum æs esset, stipulatus de te fuero, is valori contractus haud officit; l. 22. ff. de V. O. quia stipulatio mutuum syn-

nal-

nallagma per se non continet, & inde de eo tantum censetur facta, quod expressum est, & expresse continetur l. 99. eod. nec hic præcedit pretium, cui res proportionata esse debeat.

Nimirum, ut *Mastertii var. Tract p. 445.* verbis utar, cum stipulator nihil vicissim præstet, ipsius interest, illud saltem corpus habere, quod stipulatus est, licet ex alia materia confectum sit, quam putabat. Emptor vero non potest videri consensisse in pretio, cum utique longe minoris sit æs, quam aurum, plumbum, quam argentum. Ita in pignore, licet ibi mutua sit quadantenus obligatio, unde actioni directæ & contrariæ locus; quia tamen non requiritur iusta præcise inter debitum & pignus proportio, error materiæ haud impedit, quo minus e. g. æs, quod pro auro datum fuit, pignori obligetur l. 1. §. fin. ff. de pignor. act. Scilicet, ut iterum *Mastertij* formula rem declarem, creditoris in dicto casu interest, ut, donec debitor aurum, de quo convenit, recepto ære pignori det, æs pignori sit, ut ea saltem securitas interim creditori sit. At emptoris, qui pro auro æs ignorans emit, ob pretium, quod auri valorem æquat,



æquat, interest, ejusmodi emptionem nullam esse, cum etiam æs empturus non fuisset.

Effectus porro prædictæ Regulæ in eo consistit, ut detur ad datum vel solutum repetendum *Condictio*, & quidem vel *causa dati causa non secuta*, vel *sine causa*, cum contractu haud subsistente nulla causa supersit retinendi vel pretium vel rem venditam, l. 41. §. 1. ff. de contr. empt. Quod si venditor sciens æs pro auro vendiderit, adeoque deceperit emptorem, datur huic etiam actio ad id, quod interest, se non fuisse deceptum. arg. l. 21. pr. l. 26. §. 1. l. 45. ff. de C. E. Colleg. Jurid. Arg. 14. in fin. eod. Hæc de prima regula; succedit

II. *Ubi in parte materia error est, aut est in maxima, & vitiat contractus dictos; aut est in minori, & non vitiat.*

Equidem videri posset, sufficere, si in re, quam pro aurea emi, aliquid reperitur auri; ita enim Ulpianus in l. 14. ff. de contr. empt. de viriola, quæ aurea dicebatur, & ex magna parte ænea reperiebatur, decidit, venditionem valere NB. *quia auri aliquid habuit.* Verum potius est, ut cum *Mestertio* aliquoties laudato per τὸ
ali-

aliquid tantum saltem intelligamus ut aurea magis, quam ænea dicenda fuerit; adeoque per illam formulam, inventa fuit *magna ex parte ænea*, tantam æris partem non indigitari censemus, ut ænea potius, quam aurea dicenda fuerit viriola. In hoc enim casu, si tanta æris admixta sit quantitas, ut merito nomen æris adsumat, corpus ex tali materia confectum, si pro aureo veniat, nullius momenti erit emptio venditio *d. l. 9. §. ult. l. 14. l. 41. §. ult. ff. de E. V.* Coeterum, licet in priori casu subsistat emptio, nec error ibi annullationem contractus operetur, datur tamen ei, qui per errorem læsus est, actio quanti minoris, in id, quod deest, utique, si speciatim actum sit, ut aurum esset purum, vid. *l. 62. ff. de contrah. emp.* Nimirum phrasis illa, quando dicitur emptio valere vel annullari, duplicem in hoc argumento sortitur sensum, vel ita, ut omnimodo capiatur, vel ita, ut valeat quidem & res vendita maneat vendita, sed salva mutatione pretij, *l. 14. de contr. Empt. Bach. in Tr. d. §. 7. lit. e.* Sic ergo in dicto casu valet quidem venditio, sed ita, ut errans actione ex empto consequatur, ne integrum & solidum

B

dum

dum pretium solvere cogatur. *Mantica l. 4. tit. 4. Connan. lib. VII. ut & DD. citati Brunne-
manno ad d. l. 14.*

Quando vero de parte materiae in Thesi praemissa loquimur, unum indigitamus corpus ex diversa materia constans, ita ut haec per illud diffundatur, & ex mixtione una oriatur species; nec enim decisio data pertinet ad casum ubi duo distincta corpora subsunt, e. g. in mensa argento cooperta, quae pro solido corpore vendita fuit, ubi separatam constituit corpus mensa & separatam etiam lamina sive operimentum, quo illa tegitur; adeoque materiae mensae argentum nullum fuit admixtum, quod tamen necessum foret, si soliditas constare deberet & hic nulla semper est E. V. per l. 41. §. 1. ff. de E. V. conf. Cujac. ll. 0 24.

CONTROVERSIA II.

An error circa causam sive genus contractus vitiet contractum?



Non videtur; cum in corpus quidem ait *Julianus* in l. 36. ff. de A. R. D. quod traditur, consentiamus, in causis ve-



ro dissentiamus, non animad verto, cur inefficax sit traditio. Veluti, si ego credam, me ex testamento tibi obligatum esse, ut fundum tradam, tu existimes, ex stipulatu tibi eum deberi. Nam & si pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratia, tu eam quasi creditam accipias; constat proprietatem ad te transire nec impedimento esse, quod circa causam dandi atque accipiendi dissenserimus.

Contrarium autem expressis verbis adstruereprehendimus *Ulpianum*, qui in *l. 18. ff. de Reb. cred.* si ego, inquit, pecuniam tibi quasi donaturus dedero, tu quasi mutuam accipias, Julianus scribit, donationem non esse, sed an mutua sit, videndum, & puto nec mutuam esse, magisque nummos accipientis non fieri cum alia opinione acceperit, & in *l. 9. pr. ff. de contr. empt.* Si in ipsa emptione dissentiant partes, emptionem ait esse imperfectam. Adstipulatur *Javolenus*, qui in *leg. 55. ff. de oblig. & act.* ait: Sive venditio, sive donatio, sive quælibet alia contrahendi causa fuerit, nisi animus utrinque consentiat, perduci ad effectum, id, quod inchoatur, non potest. Ita hic etiam

diversa imò contraria sibi responsa dedere Jcti Romani; licebit autem & hic rem dilucidare per positiones distinctas.

I. *Error circa genus contractus impedit, quo minus contractus valeat, aut obligatio constituitur.*

Ratio, hujus regulæ facile patet; ad id, ut contractus valorem suum nanciscatur, necesse est, ut utraque pars sua concurrat voluntate; jam autem, si ego pecuniam quasi donaturus dem, tu quasi mutuam accipias, nec de donatione nec de mutuo adstrui potest consensus noster mutuus, cum in illa tuus, in hoc meus deficiat. Itaque nihil agitur, id est, nec mutuum censetur, nec donatio celebrata, per *l. 18. ff. de Reb. cred. l. 9. pr. de contrah. empt.*

Effectus h. reg. in eo conspicitur, quod ne quidem traditione subsecuta Dominium transferatur, *d. l. 18. ibi: magis esse, nummos accipientis non fieri, (ex mutuo sc. vel donationis causa) cum alia opinione acceperit, quam ego nimirum dedi.* Et hoc consentaneum est analogiæ juris, qua sine justo titulo dominium non transit, *l. 31. ff. de A. R. D.* Equidem sunt inter

DD.

DD. qui statuunt, Dominium in dicto casu transferri, sed revocabiliter. *Donellus, Rufinus &c.* sed rectius & hoc negatur, cum non per traditionem, sed per consumptionem demum concilietur mutuum in *d. l. 18.* Sicut alias etiam juris est, quoties nummi bona fide etiam ex causa depositi & simili dominii non translative consumuntur *l. 9. §. fin. & l. 10. de R. Cr. cum similibus*, ubi ob illos condictio datur, manifesto indicio, si illi adhuc extent vindicari posse; condictio enim inter alias causas propter consumptionem rei factam ex necessitate introducta & quasi succedanea facta est rei vindicationi, ne deficiente reali actione nullum alioquin adversus accipientem, qui cum alterius jactura locupletaretur, remedium competat *l. 13. ff. de condict. indeb. l. 206. de R. l. vid. Riemer. de Contract. tract. 1. cap. 6. t. 28. n. 7. & seq. Frantzke. ad tit. de contr. empt. vend. n. 79.*

II. *Error in casu tradendi interveniens, si ille, qui tradit, alteri erat obligatus, non impedit quo minus obligatio dissolvatur.*

Casus habetur in l. 36. ff. de acq. rer. dom. cit. ubi supponitur, obligatum me fuisse ad tra-

dendum tibi fundum, sed in titulo & causa debendi nos haud consensisse *in pr.* post *in seqq.* casus proponitur, ubi tradens jam pridem alteri ex alia forte causa obligatus erat; tunc enim, si debitor *donandi gratia pecuniam tradat, alter vero tanquam jam pridem à se creditam in solutum accipiat*, obligatio dissolvitur, cum dominium transeat ex causa solutionis.

Ratio juris a quibusdam proponitur generalis, quod dominii translatio fieri etiam possit ex causa putativa & erronea *l. 3. §. 8. v. quid ergo ff. de condict. caus. dat.* Rectius alii speciales addunt (1) quod licet & hic erretur, traditio tamen ratione accipientis justo titulo innitatur (2) quod facilius obligatio dissolvatur, quam constituatur, *l. 47. ff. de obl. & act.*
& favorabilior sit liberatio,
quam obligatio.

Illustrem studiis Tu vis exscribere Patrem,
Illi Te faciat Numen honore parem.

*Ita dotibus gratulatur egregiis
Nobiliss. Dn. Defend.*

strenuè vestigià paterna prementis

JEREMIAS EBERHARDUS LINCK.
J. U. D. & P. P.

Ka 3202.


Vp
18

ULB Halle

007 678 533

3





xxix.

B. C. D.

DISSERTATIO JURIDICA

CONTINENS

EXCERPTA CONTROVERSIARUM

DE

ERRORE IN CONTRACTIBUS,

Quam

PRÆSIDE

VIRO Nobiliss. Ampliss. Consult. atq; Excell.

DOMINO

JOH. HENR. FELTZIO,

J. U. D. & Pand. PP. Ord.

Celeberr.

Solemni Censura submittet ad d. 19. Octob.

M DCC XIII.

CAROLUS DOMINICUS
PANTALEON,

Metensis, Auctor.

ARGENTORATI,

Literis JOSÆ STÆDELII, Acad. Typogr.

